



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

II. In Domin. II. Adventus Tues, qui venturus es? Matth. 11. Argum.
Inquisitio in perversos instituitur Christianos.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONCIO II.

IN DOMINICA II. ADVENTVS

Tu es, qui venturus est? Matth. II.

ARGUMENTUM.

Inquisitio in perverfos instituitur.

Christianos.

Inquisitio
in perver-
fos Chri-
stianos



Illaestio proposita
latis superque e-
ventilata, decisa, &
acceptata est. A.
Credimus unà om-
nes evoluisse Do-
minici Adventus tempora, tot votis
desideratum decidisse Rorem, millenis
vaticinatum oraculis venisse Messiam.
Assentimur firmiter eum verum, natu-
ralem Dei filium, ante sæcula genitum
patrique consubstantialem. Recipimus
itidem fide indubia in generis humani
Assertorem, piorum Remuneratorem,
impiorum Vindicem, Iudicemque
æquissimum. Supervacaneum itaque
est hodiernam à S. Joanne Præcur-
sore institutam replicare quæstionem: *Tu-
es, qui venturus est?* Pro hujus enim ve-
ritate stamus, millies vitam fundere pa-
rati.

Gravius præcordiis meis insidet du-
bium, quidnam nonnulli nostratum
Pseudo-politicorum responsuri essent,
si eadem quæstio, non tantopere de
Christo Domino, quam de ipsius mem-

bris; nec tam de persona, quam
de professione, seu religione ip-
sorum moveretur. Tunc es, qui
venturus est in cælum? Immo tunc es
Christianus, an potius Anti-Christia-
nus? Tunc Orthodoxus, an verius
Orcodoxus? Nonne fallis nos, ac te-
metipsum, speciosoque titulo utrique
imponis? Nam *non omnes, qui ex Is-
rael sunt, ii sunt israelita, neque qui
secundum semen abraha, ii sunt filii. Nec
omnes, qui in Christo renati sunt, ii
adoleverunt in Christo.* Tunc es
ergo verus fidelis, verus Christianus,
an alium expectamus?

Ne in cassum movisse quæstionem
videar, imitabor S. Joannem Præcur-
sorem Domini, & mittam duos ex
discipulis, non tam illius, quam ip-
siusmet Christi, & quidem Petrum,
ac Joannem Evangelistam, Inquisi-
tionis Tribunal in frigidiores quos-
piam hujus urbis incolas, (tan-
quam de fide mihi quadantenus
suspectos) administraturos. Vos au-
ribus, animisque adeste.

Rom. 9, v. 6.

S. I

Quaestio à S. Petro instituitur.

II. Primum, quem ubivis obtinet, etiam hic habeat Apostolorum Coryphaeus, Definitor Conciliorum, judiciorumque omnium, & quaestionem auspicetur: sistite vos personati Christiani, & respondete.

*Christianus
unde dig-
noscatur*

*2. Petri. 1.
v. 2. 4.*

*Cornelium
sensu Trop*

Gratia, inquit, vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri, per quem maxima, & pretiosa promissa nobis donavit, ut per hac efficiamini divina consortes naturae. q. d. Quemadmodum vobis omnem plenitudinem gratiae, pacisque medullitus apprecor; ita vobis compertum esse concupio supernis vos ditatos charitmatibus, quatenus audiendo, meditando, legendo proficiatis in amore Christi, & actiones cogitationesque vestrae actionibus Christi filii Dei omnino colores evadant. Christianismus enim est imitatio divinae naturae, ab omni malitia, ac vicio alienae. Christianismus est conjunctio cum Christo, & professio ipsius vitae. Quemadmodum Christus est iustitia, Puritas, Veritas, sanctitas ipsa: ita ad ipsius vitae normam, sanctitatisque amissam vitam suam componat Christianus est necesse, sitque Appurus ab omni minimum graviore criminum labe. Proinde frustra nomen Christi sortitur, qui Christum minimum imitatur. Otiosa est disciplina illius professio, ubi deficit actionis ipsius expressio.

III. Jam obsecro te, mi frater, face unde te queam dignoscere Chri-

stianum, seu Christi sectatorem? An ex vestitu? an oculis? an habitu? an membris omnibus?

Ex vestitu dicerem; sed habitus, & tonsura non faciunt Monachum, vel Christianum. Non qui caesariem alit Nazareus est, nec qui radit illico religiosus: sub prima publicati Evangelii tempora tametsi Christiani pari cum Ethnicis ab olla uterentur; aliunde tamen internoscebantur, discrimen, quod in veste nullum erat, morum faciente praestantia. In te autem, quum cuncta luxu fluctuent sybaritico, discernasque huc illuc obambules, unde te queam discernere? Certè Christum non tam induisse, quam exuisse videris.

*Tonsura
non facit
Christianum*

IV. Unde ergo te queam agnoscere? An ex oculis? Si Christi oculos arbitremur, ii sunt purissimi, simplicissimi, columbini: *Oculi tui columbarum, qui lacte sunt loti.* Tui autem aut voracis cujuscumque accipitris ad rapiendum intenti, aut feralis bubonis, offendentes ad lucem, & per viam lucis tenebras in cor diffundentes. Festucam in oculo proximi observant, & trahem in proprio non vident; terrena ac transitoria, non verò caelestia, ac perennantia contemplantur.

Cant. 4. vs

V. Unde ergo te queam dignoscere? An forte ex manibus? *Manus Christi tornatae, aureae, plena hyacinthis;* id est succulentae, politae, perfectae, plenae gratiarum? ex quibus dimanant opera gratiosa, omni ex parte perfectissima, absolutissimaque, quae assiduum sese versabant, volebantque ad varia misericordiae opera, jam suscitando mortuos, iam illuminando exoculatos;

Cant. 5. v.

jam multiplicando alimenta , jam lympham mutando in lyaum ; jam panem , & vinum in epulum eucharisticum . Aureæ illæ extiterant cum ob charitatem , tum ob Divinitatem in omnibus cooperantem . Quidquid enim exterius operabatur , intus in divinitatis pulchritudine disponebatur .

Tuæ autem quam illæ ? An non plenæ sanguine , rapinâ , iniquitate ? An non de ijs jure dici queat , quod olim de manibus Jacobi ab Isaaco parente dictum : *Vox quidem vox Jacob , manus autem , manus sunt Esau* ? nimirum feræ , crudeles , in rapinam extentæ , ad eadem armatæ , ad ferandum complicatæ ?

VI. Unde ergo te queam dignoscere ? An ex incessu ? At quantum distat ortus ab occidente ; quantum cœlum à terra , tantum viæ tuæ à vijs Christi : *Via enim illius via pulbræ , & semitæ illius pacificæ* . tuæ autem plenæ rixarum , ac dissensionum . Illius viæ in assumpta mortalitate durissimæ ; tuæ lapidibus ad delicias usque complanatæ . Illius ducunt per spinas , & tribulos ; tuæ per viridaria & rosas . Illius per angustam portam , tuæ per latissimam ; illius in Jerusalem cœlestem , tuæ in Jericho .

VII. Unde ergo te queam agnoscere ? An ex cæteris membris ? Christi Domini habitus corporis erat volumen quodpiam divinum , motus & actiones literæ , in quibus legebatur ipsius modestia , suavitas , pietas , patientia , charitas , immo & Divinitas . Unde illi quantumvis blasphemi pau-

lò ante Apellæ ; intuentes in pulpito crucis hoc volumen expansum , revertebantur percutientes pectora sua , & dicebant : *Vere filius Dei erat iste* . Non sunt hæc notæ , puræ , singularisque humanitatis ; sed perquam expressi characteres Divinitatis .

Tuum autem corpus , & membra quid sunt aliud , præterquam Plauti Alinaria , quam Epicuri syntagmata , quam syllabus vitiorum ? Dum enim elatæ cervicæ , libratis humeris , gradu basilico , spuria , ac ementitâ majestate ingrederis , alteriusque Hierarchiæ hominem profiteris , quis non legat fastum , & insolentis animi arrogantiam ? Quando micæ oculis , strides dentibus , tonas manibus , totoque vultu Furias circumagitas , quis non conjiciat impotentis animi vim , effusamque bilem ? Quum item uno quandoque flexu te in orbem torqueas , pedes in fugam lubrices , corpus tremulâ agitatione vibres , quis te vanitatis non redarguat ? *Homo apostata* , ait Sapiens , *vir inutilis graditur ore perverso , annuit oculis , terit pede , digito loquitur* . Licet vocem silentio premat , tamen membris , & articulis loquitur ; licet papyro , sepiâque destituatur , tamen gestibus , & actionibus in ipsâ cutis suæ membrana exarat perversos suos mores , ut cuius pronum sit eos relegere , & dicere : *Verè filius nequam , filius tenebrarum est homo iste* .

Luc. 23. v. 24

Gen. 27. v.

22

Prov. 3. v.

27

Prov. 6. v. 32

*Christiani
nominis ab-
usus*

Ita undecunque te volo cognosce-
re, inuenio te à contrariis publi-
cari. Inuenio, quod nec in inces-
su, nec amictu, nec ex mem-
bris, & multo minus ex virtutibus
aliis te possim discernere Christia-
num. Inuenio quod in hoc duri-
taxat sis Christo similis, quod i-
maginem ejus reddas è contra-
rio. Inuenio te non tam fidelem,
quam infidelem; non tam Chri-
stianum, quam Anti-Christia-
num; non tam confitentem Chri-
stum, quam omnibus membris,
arteriisque inficiantem. Nam etsi
oretenus profitearis te nosse eum,
facto tamen ipso improbas, &
ejuras.

Videte an non euidenter evin-
cat, & nomine Christiano non
paucos decernat indignos hic Apo-
stolus? At mitiora forsitan vobis
ab alio discipulo, & arbitro pot-
licemini. Bene habet Audiatur.

§ II

Quaestio à S. Ioanne urgetur.

*S. Ioan. 1.
v. 7. 8.*

VIII. Tres, inquit ille, sunt,
qui testimonium dant in caelo, Pater,
Verbum, & Spiritus S. & hi tres
unum sunt. Et tres sunt qui testimonium
dant in terra, spiritus, & aqua,
& sanguis. Hi testes conformiter
probant Christum esse Filium Dei.
Pater aeternus, quando ait: *Hic
est Filius meus dilectus, in quo mihi
bene complacui.* Filius item, qua
vitae suo exemplo, qua prodigiis in-
atiditis, qua ore proprio contesta-

tus est, Ego & Pater unum sumus.
Spiritus S. quando in columbae
specie super eum descendisse visus
est.

Testantur itidem tres in terra de
eodem, nimirum, spiritus, id est
aura, siquidem mare, & venti obe-
dierunt illi: sanguis tot sanctorum
Martyrum, & Innocentum pro eo
effusus; Aqua quae de latere ejus pro-
fluxit, quaque nos in sacro baptis-
mate abluit.

Jam vero nequaquam à te exigo
testimonium è caelo, ne dicas su-
pra me est, quis potest illud con-
scendere? Peto à te testimonia de
terra, id est Aquae, sanguinis, &
spiritus. Haec nisi te Christianum
esse comprobent, incassum Christia-
noglōriaris titulo.

IX Imprimis facer latex testari
debet te foedus in eo cum Domino
tuo initum sacrosanctè custodivisse,
nec vestem candidam, ullo unquam
graviore minimùm scelere conspurca-
se. Idcirco enim niveam in eo ve-
stem accepisti, quatenus eam illi-
tam perferres ante tribunal Domini
Dei nostri. Ideo non in praesentia
duntaxat hominum, sed Angelorum
renuntiasti diabolo, & operibus e-
jus; mundo, & luxuriae ejus, quo
Christo Deo soli delervires. Haec
vox tua scripta est, non in tumulo
mortuorum, sed in libro viventium.
Si fallis, haec linteamina te incusa-
bunt, convincentque, cum Majestas
venerit judicantis, demersura impios
in abyssum putei sulphure exaestuanti-
tis. Haec te immaculatum velabant
de fonte surgentem, haec

*Testimoni-
um vitae quis
conferas*

*Testimoni-
um bonum
dat Baptis-
mus*

te acrius persequentur, nutrientque vermem intima depalcentem. Etenim induit maledictionem sicut vestimentum, quisquis perfide violat Baptismatis, fideique sacramentum.

Item passio

X. Testari debet subinde sanguis, id est cruce, dolores, cruciatus amore Christi patienter tolerati. *Qui vult venire post me, ait ipse. abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* parum prodest sequi, si non contingat consequi. Parum commodat sequi ad fractionem panis, nisi itidem ad sumendum calicem Passionis. *Vasa figuli probat fornax, homines autem justos tentatio tribulationis.* Equè vasa, ac homines pulsu tribulationis tentantur, quemnam tinnitum reddant. Tacebant ore egregii Christi pugiles, quum equuleo insuerentur, ferreis superinjecti cratibus ustularentur, in catasta distraherentur, dilaniarentur à Leonibus; conciderentur à lictoribus, à militibus millena morte conficerentur. Tacebant illi, verum enim verò ipse sanguis, vulnera, & ossa sedibus suis expulsa, distenti nervi, membra confossa, corpora suspensa eloquentissimæ voces, potentissimaque hortamenta erant, quibus testatum facerent, quam carus illis Deus esset, cuius amore acerbissima quævis, morsque ipsa in pretio esset.

Item spiritus opera

Gal. 5. v. 22.

XI. Testari tertio debet spiritus operibus sanctis, ex amore & intentione optima factis. Etenim ex fructibus arbor, & homo peræquè discernitur. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, castitas;*

ex quibus fidem tuam probare adstringeris.

Postulantibus Iudæis, quatenus citra ulla ambages, ac anigmata Christus ediceret, quis esset: *si tu es Christus, dic nobis palam.* Non alio usus est testimonio, præterquam operum: *Si mihi non vultis credere, operibus credite. Opera qua ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ita perarò, & citra orationis ambitum, sese palam Christum Deum esse contestatus est, operibus, seu fructibus semper. Efficacius enim est spiritus, quam linguæ testimonium; tantoque à suspitione remotius, quanto minus verborum phaleris exornatum.

Ioan. 10. v. 38.

Ioan. 5. v. 16.

XII. Subsimili ex causa in hodierno Evangelio veniunt dubiæ fidei discipuli à Joanne missi ad Dominum, postulantes categoricum responsum, an ipse sit verus, promissus Patribus Messias. *Tunc es, qui venturus es, an aliam expectamus?* Et ecce Dominus nec verbulo prolato convertitur ad cæcos, claudos, leprosos, pauperes; illis visum, his gressum, aliis munditiam confert. Tum primum acsi irrefragabili suam divinitatem probasset argumento, ait ad eos: *Renuntiate Ioanni, qua audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur. Veritas enim insignitus patet operibus heroicis, ac evidentibus explanata, quam verbis duntaxat prolata. Tres sunt, qui testimonium dant in terra.*

XIII. Iam nunc age, *Christiani* fate, frigidissime *Christologe,* *Christologi* quod

*Christiani
Christologi.*

quodnam mihi in argumentum tuæ religionis exhibes martyrium? An A- quam advocas? Hæc utique contra te perorat, teque millies fœdifragum factum enuntiat. Abrenuntiasse te subinde Deo tuo; & Orco, mundo, ac pompis ejus, quas ejuraveras ad- hæsisse, frequentius sathanâ dictatore, quam Christo Altissimi Consiliario usum esse.

Quid item dicet sanguis. Num- quid testabitur is, te usque ad sangui- nem, immo usque ad sudorem ten- tationibus restitisse? Nonne plus do- les tuum, unâ rauæ plebeculæ vocu- lâ, læsum honorem; quam pro te- sulum Christi sanguinem? Nonne san- guis tibi per venas micat, salitq; ex læti- tiæ intemperantia? Nonne ad vultum retrahitur ex iracundia? Nonne ad cor contrahitur ex impatientia? Non- ne crucem, quamvis levissimam, a- verfatus es? Nonne lata tibi via ma- gis cordi erat, quam arcta? Fatere, annon ex Tripode?

Quid tandem proferet spiritus? Quid? Quod ignoraveris, quæ sunt spiritus Dei, aut quis fructus illius, quod totus in decerpendis, venandis- que carnis illecebris distentus fueris, in proferendis autem fructibus spiri- tus omnino sterilis. Unde ergo, aut quo teste te agnoscam Christianum? *Detegeris & deprehenderis o Christiane, dum aliud agis, aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem. De- prehenderis esse vas signatum Chri- stianis characteribus, sed vacuum om-*

*Aug. 1. 4. de
Symb. c. 1.*

ni liquore gratiæ; deprehenderis esse fax, seu lampas sine oleo; deprehen- deris esse Christologus non Christia- nus: etsi enim Christum ore profi- teris, totâ vitâ, & operibus altum exululantibus inficiaris.

XIV. Vir magnus in Ecclesia rap- tus per visionem ad tremendum Dei judicium, non est agnitus pro Chri- stiano, sed Ciceromano; eo quod impensius deditus esset lectioni ipsius, & paululum à Christiana simplici- tate in scribendo alienus. Et tamen florebat ille tum quâ doctrinâ, quâ sanctimoniâ vitæ tanquam lilium in- ter spinas. Quâ ratione itaque mere- bitur nomenclaturâ Christiani dona- ri, qui impensius imitari conatus fue- rit Alexandrum, aut Euclionem quempiam, quam Christum? Quo- modo ille, qui frequentius Tacitum volvit, ad rationem status effingen- dam, quam Evangelium; qui firmus de peccati illecebra, de vindicta, de mundo cogitat, quam cœlum, aut virtutem quampiam revocet?

*S. Hier. Ep-
22 ad Eu-
stochs*

*S. Hierony-
mus Cicero-
niamus po-
tius quam
Christianus*

XV. Audi in sacra mea Apocalyp- si Anti Christum certo caractere si- bi devotos initiaturum; si quis acceperit characterem in fronte sua, aut in ma- nu sua, hic bibe de vino ira Dei. Cha- racter autem is non alter futurus est judicio multorum, quam N. C. id est, Nego Christum, & hoc signo exterius testatum reddent, sese Christi obnuntiasse; & Anti-Chri- sto nomen dedisse, tametsi for- tē permanerint in corde Chri- stiani. Vah & ego non ex autorem

*Christiani
perversi
character
Apoc. 14.*

ex albo militum Christi, qui quidem labiis Christum enuntiant, corde autem, actionibusque suis tanta contentione ejurant, ut & cœli, & inferorum voces obtundant. Clamet licet Pater aut Frater ex Erebi catastis: Revertere, revertere, perversa est via tua, ad percipiunt. Clamet alii amici, ac Patroni desuper: *Miserere anima tua placens Deo, rugitu furoris ipsorum vox illa obtunditur.* Clamet ipse Christus in conclavi adumbratus: Absiste, absiste tandem exulcerare vulnera mea, fodicare pectus meum, spinis peccatorum tuorum transfigere tempora mea, satis sit litatum semel esse vivorem meum, cur iterato me in crucem cogis, & exulceras vulnera mea? Verum & hæc preces offocantur, auribus ad sathanam mundumque obversis, atque à Deo averfis. Deseritur Christus non adurgente per carnificinam tyranno, quod tamen scelus gravissimum est, sed Orco duntaxat blandiente, atque ad delicias volaticas invitante, quod infandum est. Hoccine ergo est credere? hoccine est christi legem profiteri? hoccine est Christianum esse? Nimirum apud illos, quibus Anti-Christus pro Christo est, *quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum.*

Liquet itaque vosmetipsos fallere, & sub sipario Christianæ professionis infidelitatem ipsam circumferre. Liquet esse vanos Christologos, non Christianos. Liquet ex moribus, ex vita, ex testibus omnibus, sectatores potius esse Anti-Christi, quam Christi.

XVI Quos ego quicumque ii sunt,

Eccli 30. v. 24.

Phil. 3. v. 19

*Nominis reatus & ad-
alterium.*

cum magno illo orbis triumphatore arguo, & adhortor: *Aut mores mutare, aut nomen.* Turpe est mendacium efferre pronuntiatione, turpis actione: Turpe est profiteri ore Christum, & opere in ipso præferre ejus adversarium. Damnosum, & crimen immane, est nomen inane, *Aut nomen muta, aut mores.* In ipsis Averni suppliciis nomen inane futurum est vobis tormentum immane. Hoc enim nunquam non carnifex aderit, omnique gladio ancipiti profundius sauciabit.

Ne vero nomen mutare cogamini, mores corrigite, & adnitimini, quod estis professione, actione non nomine duntaxat circumferre, quatenus nomen congruat actioni, ne deinceps sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio; ne locutionem simuletis columbiam, & mentem geratis caninam, ne professionem monstretis ovinam, & ferocitatem nutriatis lupinam. *Aut nomen muta, aut mores.*

XVII Arripite consilium Christi dilectæ suæ concreditum. Ea dilecto inquirendo insistens, nec à vigilibus agnita, objurgata verbis acerbioribus, multata verberibus, affecta vulneribus, proprio denique exuta pallio: *Custodes murorum percusserunt me, tulerunt pallium meum.* Haic malo in futurum prospecturus spon- sus blandè eam consolatus ait: *Pe- ne me ut signaculum super cor tuum, & ut signaculum super brachium tuum. q. d. Si deinceps dilecta haberi, estimari, ac suspici ab aliis inardescis, ita*

*Christi imi-
tatio.*

Cant. 5. v. 7.

Cant. 8. 6.

mo-

mores meos, vitamque cordi, ac brachiis imprime, quatenus eorum similitudinem in te, id est cogitationibus, actionibusque exprimas; ut qui te conspexerit, me vidisse arbitretur. Pone meitem ut signaculum in fronte tua, ut semper confitearis; in corde, ut semper diligas, in brachio, ut omnia opereris ad imitationem actionum mearum. Hac ratione mihi assimilaberis, & mea ab omnibus agnosceris.

Author & amator hujus Sponsæ Amator noster est, idemque nobis in ipsa suggerit consilium; quatenus ipsum supra præcordia, brachiaque ponamus, ne deinceps nomen inane circumferamus; ut omnia cum ipso, per ipsum, & in ipso operemur. Cum ipso

nimirum cooperando gratiæ ipsius, per ipsum omnia offerendo in laudem, ac gloriam omnipotentis Dei in ipso, ut quasi Personam ipsius assumpsisse videamur, operaque non tam humana, quam Theandrica exercere.

Hoc enim vero est Christianum esse, non tantum nomine, sed re ipsa Christum profiteri, ac imitari. Hoc est sui nominis esse virum, seu mensuram sui explete cognominis. Hoc est gaudere professione, ac Societate Christi JESU, quam nobis in hac per veram, sinceramque imitationem, in altera vita per indissolubilem unionem largiatur, qui cum Patre, &

Spiritu S. vivit, & regnat

DEus per sæcula.

Amen.

CONCIO III. IN DOMINICA III. ADVENTUS

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Levitas ad Ioannem. Ioan. I.

ARGUMENTUM.

Legatio manca.



ordinarios Judaicæ gentis nuntios ex Evangelio præsentem accepimus. Aud. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes. Quales isti; Vel quid

nus Legatos quospiam in Bythiniam destinaret, & quidem omnes agritudini cuiuspiam, aut defectui obnoxios. Unus ex ipsis podagra conflictabatur, alter capite laborabat, tertius forsitan pleuritide excruciabatur. Marcus Cato perpenſa hac Legatione, non sine Splene, & sarcasmo intulit: Legatio nec caput, nec cor, nec pedes habet.

Plut. in Carone Appian in Mithrid.

illis negotiis?

Fortuito accidit, ut Senatus Roma-

C

At